



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 116. Concilium Rothomagense

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

rum Canonicum, ac denique tractatum pro Concilio Basileensi adversus Eugenium Papam, in quo historicam exhibet seriem omnium, quæ in hoc Concilio a tempore, quo Florentiam translatum est, usque ad Eugenii exauctorationem gesta fuere.

Sæcul. XV.
A. C. 1445.

§. CXVI.

Concilium Rothomagensis.

Hoc anno die quinta decima Decembris Radulphus Rouffelius Archiepiscopus Rothomagensis in Palatii Archiepiscopalis capella cum suis Suffraganeis Provinciale celebravit Concilium, in quo decreta quadraginta & unum de disciplina ecclesiastica, atque moribus condita fuere. Eorum præcipua libros artium magicarum, Blasphemias, juramenta, dæmonum invocationes, necnon debitas pro recipiendis sacris Ordinibus & prædicando Dei Verbo dispositiones concernunt. Agitur quoque in iis de obligatione semel in anno peccata sua proprio confitendi Sacerdoti, sacramque recipiendi Synaxin, prohibetur itidem, larvata, ut certis temporibus moris erat, facie Ecclesias intrare, aut quicquam pro administratione Sacramentorum pro benedictionibus, vel pro literis Ordinum recipere; Insuper præcipitur, ut Scho-

Conc. gener.
Labbe tom.
13. p. 1303.
Bessin Cont.
Norm pag.
184 Es seq.

Sæcul. XV. A.C. 1445. læ Personis scientia, & morum integritate probatis committantur; beneficia idoneis, ac bene meritis conferantur; promovendi ad S. Ordines examinentur, atque ab eisdem titulus verus, vel patrimonii, vel beneficii requiratur, arcentur quoque turpes pactiones pro Missis celebrandis; omnes Clerici decentibus vestibus, ac eorum statui congruis incedere, & Archidiaconi suos Archidiaconatus personaliter visitare jubentur. Proscribitur præcipue in Clericis ebrietas, & publicarum tabernarum accessus, concubinatus, & cohabitatio cum mulieribus. Septimus articulus præcipue notatu dignus est, eoquod eorum condemnat superstitionem, qui *turpis quæstus gratia* imaginibus Beatissimæ Virginis specialia induunt nomina v. g. *Beata Virgo de recuperata salute, Beata Virgo de misericordia, de solatio, de Gratia &c.* Nam talia, inquit canon, *sunt occasio superstitionis in multis, quasi sit plus in una imagine, quam in alia.* Hæc est summa statutorum in primis viginti duobus articulis comprehensa.

In vigesimo tertio injungitur ordinariis locorum, ut moneant suos officarios, ne ceteros in pecuniarum exactione ultra condignum gravent, & in vigesimo quarto, ne excommunicent aliquem, nisi in scriptis, aut nisi alias legitime constituerit,

terit, quod fuerit citatus. XXV. prohibetur subditis, ne cum excommunicatis participent in cibo, cohabitatione, aliisque commerciis. XXVI. interdicitur usura, & Personis Ecclesiasticis negotiatio. XXVII. inhibetur Clericis, ne suos contractus coram sæculari iudice firmari procurent. XXVIII. excommunicantur homicidia voluntaria perpetrantes, latrones, incendiarii, & viarum insidiatores, qui, si absque poenitentia decesserint, sepultura Ecclesiastica privari jubentur. XXIX. prohibetur in Ecclesiis fabulari, aut causas profanas tractare durante divino servitio. XXX. interdicitur in sacratissima nocte Nativitatis Domini taxillorum lusus, ac cetera diverticula minus honesta. XXXI. præcipitur Prædicatoribus ac Confessariis, ut exhortentur populum ad decimas solvendas. XXXII. agitur de speciali Clericorum vestitu. XXXIII. jubentur sacræ reliquæ expleto servitio divino in locis honestis reponi, Ecclesiæ claudi, & cæmeteria a terra profana distingui. XXXIV. agitur de reformatione Religiosorum, atque Monialium S. Benedicti, S. Augustini, & aliorum. XXXV. præcipitur, ut in singulis tam virorum, quam mulierum conventibus in aliquo loco idoneo sit tabula, in qua vulgariter, & ad longum annotetur regula, quæ profiteri consuevit. XXXVI.

Sæcul. XV.
A. C. 1445.

Bessin. Conc.
Norm. pag.
187. & seq.

Sæcul. XV. jubentur Abbates, atque Priores, ut
 A. C. 1445 omnes suos subditos frequenter convo-
 cent, & absentes singulis diebus Mercu-
 rii quatuor temporum congregent, nec
 non eisdem regulam, quam profitentur,
 extensius dilucident. XXXVII. monen-
 tur etiam, ut subditos suos ad omnia in
 eorum regula contenta fideliter obser-
 vanda persæpe exhortentur. XXXVIII.
 eis injungitur, ut sua capitula juxta eo-
 rum regulam celebrent. XXXIX. Visita-
 toribus, atque Provincialibus ea, quæ
 muneris sui sunt, præscribuntur. XL.
 agitur de supplenda Prælatorum negli-
 gentia. Tandem in quadragesimo primo
 statuto monentur fideles, ut pro pace &
 unione Christianorum Principum instan-
 ter Deum exorare velint.

§. CXVII.

*Rex Franciæ Nancæo Catalaunum
 profectus.*

*Jo. Chart.
 Histor. Ca-
 roli VII.*

Carolus VII. Galliarum Rex, Nancæo
 relicto Catalaunum contendit, ubi
 satis longam traxerat moram, diversas
 dijudicaturus caussas. Convenerat ibi
 Regem Burgundiæ Duciffa, litem, quæ
 inter Maritum suum, & Siciliæ Regem
 exorta erat, motura. Hæc non solum
 quasdam urbes, quas Dux occupabat,
 sed etiam redemptionis pretium, quod
 Rena-